



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 3. De obligatione Regum ac cujuslibet postetatis Civilis, circa
Religionem veram

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

ad pœnas temporales etiam usque ad mortem corporalem.

Articulus Tertius.

De Obligatione Regum ac cujuslibet Potestatis Civilis circa Religionem veram.

1. **A**Ntiquitus frequenter potestas regia cum Sacerdotali in eadem persona unita, idemq; homo Rex & Sacerdos fuit. Sic enim de Melchisedech. Constat ad Hebr. 7. v. 1. quod & rex Salem & Sacerdos Dei summi fuerit. Job de se dicit cap. 29 v. 25. *Cumq; Sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen merentium consolator.* Quod fuerit etiam Sacerdos ex Cap. 1. constat, ubi describitur offerens sacrificia pro filijs suis eosque sanctificans, ex quo inferendum potestatem Regiam & Sacerdotalem, etsi sine partiali distinguantur, in compatibles tamen non esse, imo eidem Reipublicæ semper necessarias fuisse, sive in unam personam, sive in diversas conveniant. Hinc.

2. Moderno tempore regia vel quævis
sacu-

nor. sæcularis potestas ita Religionis veræ ter-
minis conscribitur, ut nil illi liceat contra
fidem, Religionem & Ecclesiasticam liber-
tatem, attentare. Hæc clare indicantur
Po- Deut. 17. ubi loquens de rege futuro: *Post-*
quam (inquit) *sederit in solio Regni sui, de-*
scribet sibi Deuteronomium legis hujus in
volumine, accipiens exemplar à Sacerdoti-
bus Leviticæ tribus, & habebit secum legetq;
illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat ti-
mere Dominum Deum suum, & custodire
verba & Cæremonias ejus, quæ in lege præce-
pta sunt. Ex quibus constat Reges non
tantum obligari ad mandata Dei, sed etiam
ad omnia quæ sunt Religionis. Unde &
David. 3. Reg. 2. monet Salomonem filium
suum: *Ego* (inquit) *ingredior viam univer-*
sæ terræ: Confortare & esto vir, & observa
custodias Domini Dei tui, ut ambules in vijs
ejus, ut custodias Cæremonias ejus, & præce-
pta ejus, & judicia & testimonia.

3. Regiæ insuper & sæculari potestati,
ratione sibi commissæ potestatis circa Re-
ligionem incumbit, Religionem cum vera
fide conservare, in se & ditionibus suis, &
quan-

quantum in se est, illa promovere: Ecclesiam cum omnibus bonis, juribus & privilegijs defendere, Ecclesiæ proceres & Ministros protegere. Hoc tum ex Scriptura tum ex Patribus ac Concilij historijsque clarum est: & patet ex S. August. *lib. 5. de Civitate Dei, cap. 24.* Neq̄ enim nos Christiani quosdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes Reipublicæ domuerunt: sed felices eos dicimus, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum, majestati ejus famulam faciant. Si Deum timeant, diligant, colant.

Articulus Quartus.

De obligatione Potestatis Civilis ad protegendas immunitates Ecclesiasticas.

I. **Q**UAMVIS Principatus Ecclesiasticus & politicus in Regimine disparato, nimirum Spirituali & Politico, respectivam æqualitatem habere videantur, tanquam duo ejusdem corporis capita, quorum alterum influit esse & operari Spirituales: